



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Davidis Regii Prophetae Psalterivm**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs XLV. Eructauit cor meum verbum &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

PSALMVS XLV.

Eructauit cor meum verbum &c.

**G**estit ouās animo mihi pangere dulce poēma,  
De Rege eximio carmina lata canam.  
Hic mihi tam prono decurret flumine lingua,  
Quām velox scriba non manus esse potest.  
Tu natos hominum, forma, specieq; venusta  
Anteuenis, mellis sunt tua labra fauus:  
Propterea à Domino tibi gratia tanta reposta est,  
Quām poterit merito nulla abolere dies.  
Ergo tuum latus en se tuo cinge, inclyte vindex,  
Ornatu niteant membra decora nouo.  
Prælustrum cultum comitentur fortia facta,  
Queis miserosq; iuves, iusticiamq; colas.  
Tunc tua dextra potens miracla, et facta stupenda  
Edet, erunt laudis qua monumenta tua.  
Tela, quibus ferias hostem, sunt cuspide acuta:  
Concidet ante tuos vis inimica pedes.  
Et thronus immotus tibi secula cuncta manebit,  
Sceptra tui regni florida semper erunt.  
Justicia assertor, iuris defensor & aqui,  
Odisisti ex animo turpia facta pio.

Hinc

Hinc te laticia Deus, & pinguedine olim  
Vnxit, praesociis, propter eosq; tuis.  
Vestimenta Aloën Myrrham spirant Casiamq;  
Limina cum thalami linquis eburnatui.  
Nympharumq; chorus comitatur, regia proles,  
A deo tristis sponsa est aurea tota tuis.  
Nunc audi atq; vide, mea filia, sensibus imis  
Accipe, quæ moneo, mente memorq; tene.  
Rege tuo excluso, populum ne respice auitum,  
Anxia nec patriæ sit tibi cura domus.  
Tunc tuus egregio Rex delectabitur ore:  
Nam Dominus verè est hic tuus atq; Deus.  
Scilicet hunc unum vero venerabere cultu,  
Ut tua placato sint rata vota patre.  
Urbs Tyrus ipsa tibi, Rex fit cum munere supplex,  
Diuitiis clari teq; precando colunt.  
Gloria regalis nata nitet intus, & auro  
Eminet intexto vestibus illa foris.  
Ducitur ad Regem, Phrygiam artē veste decora,  
Et comites Nympha ponè sequuntur eam.  
Læticia & plausu comitante palatia Regis  
Ingriduntur, ubi splendida pompa viget.  
Hinc tibi succendent patribus non inferiores

Fili, ut hos habeant clima<sup>t</sup>a cuncta Duces.  
Nomini<sup>s</sup> ipse tui faciam memini<sup>s</sup>e nepotes,  
Ut populi grates hinc tibi semper agant.

### PSALMVS XLVI.

Deus noster refugium & virtus, &c.

DEVS meum solatium,  
Et fortitudo protegens,  
Idemque asylum est unicum,  
Et robur in periculis,  
Suos fideles adiuuans.  
Nil ergo nos timebimus,  
Orbis licet fractus ruat,  
Et fluctibus motum fremat  
Minax mare, atque turgeat,  
Voluatque montes maximos:  
Tamen Iehoua maximi  
Immota stabit cinitas,  
Firmata turribus suis,  
Suis rigata riuulis.  
Suo tuctur optimo  
Vrbem suam munimine,  
Munusque prae<sup>sid</sup>is gerens

Tutatur